



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

De S. Antiocho Episcopo Confessore Lugduni In Gallia Sylloge Historica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70595)

DE S. ANTIOCHO

EPISCOPO CONFESSORE LUGDUNI IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA.

J. B.

S. c. IV
NONNIHIL
PROVECTO.
Sancti etas.

Sanctum Justum Lugdunensem episcopum, uti et S. Elpidium ejusdem sedis antistitem, alterum quidem S. Antiochi decessorem, licet non proximum, alterum vero successorem proximum, Operi nostro jam insertos habes tomo I Septembris (a); Albinus vero, S. Justi successor proximus, locum habet in Opere nostro tom. V Septembris ad diem xv ejusdem mensis (b): porro Albinum inter et Antiochum medium S. Martinum collocant passim episcoporum Lugdunensium Catalogi. Antherum, quem item Albinum inter et Antiochum interponunt Sarazinus et Severtius, rerum Lugdunensium scriptores, Catalogi jam laudati ignorant. Interfuit S. Justus Concilio Aquileiensi anno 381; ac paulo post, uti apparet, relicta Lugdunensi Sede, in Ægyptum abiit, vitæ illic inter anachoretas exitum exspectaturus. Cum autem nulla relicta sint monumenta, ex quibus de initio, duratione et fine regiminis SS. Albinus, Martini et Elpidii constat, ex probabili dumtaxat conjectura, locis Operis nostri supra citatis, Albinus obitus sæculi tertii quartique confinis illigatur; Elpidii vero sæculo quarto media sui circiter parte elapso; ex quo fit, ut, relicta Martino aliquot regiminis annis, S. Antiochus sæculo iv nonnihil provecto ad Superos migrasse videatur. Chronica Ecclesie S. Justi, a Stillingo tom. I Septembris (c) laudata, S. Antiochum loco inter episcopos Lugdunenses decimoquinto collocat: decimoseculo alii passim Catalogi: minus audiendus Paradinus, qui decimo octavo, propter Antherum, quem in Lugdunensium præsulum seriem intrusit.

genusnum no-
men,

2 Genusnum sancti Præsulis nomen Antiochus est, sed a nonnullis in Andiochum, in Anduellum vero, uti Theophilus Raynaudus in Sanctorum Lugdunensium Indiculo scribit, a Lugdunensium vulgo conversum: gallice S. Anduel nuncupatur in Indiculo beneficiorum Lugdunensis diocesis anno 1638 Lutetie Parisiorum edito typis Gervasii Alliot: Castellanus autem, in Martyrologio suo Universali ad hunc diem, genusnum ejus nomen gallice effert S. Antioque. Alius est hic noster a S. Andochio Martyre, de quo apud nos actum est ad diem xxiv Septembris, uti et a S. Andeolo, pariter Martyre, de quo videtur tom. I Maji (d); quod, ne confusionem pariat nominum affinitas, verbo monuisse sufficiat. Gesta porro S. Antiochi plerique in tenebris latent, neque quidquam fere ex illis exploratum habemus, præter ea, quæ in Vita S. Justi Lugdunensis episcopi, ab auctore suppari scripta et apud nos tom. I Septembris (e) edita, leguntur: sunt autem hæc: Eodem vero tempore, quo ipse (S. Justus) in heremo Ægypti Scithica, ut innuit Stillingus in Annotatis ad Acta S. Justi morabatur, Sanctus Antiochus, tunc presbyter Lugdunensis, pio incitatus officio, usque

ad videndum episcopum peregre * animo intendit, vir discussione * præcipuus, et qui non immerito ad ejusdem pontifici culmen assumptus sit. Hic ergo cum desiderio tanti antistitis terras et maria transmitteret, prænuntiasset venerandi nominis Justus adventum ejus ita fertur, ut etiam, quibus diebus quæ accederet loca, non taceret, dicens: Charus noster Antiochus hodie illic moratur. Quod adeo manifeste probatum affirmatur, ut etiam die ipso, quo ad eundem venit, venturum esse prædixerit.

3 Consequitur hinc quidem S. Antiochum prius ecclesie Lugdunensis fuisse presbyterum sub episcopo Justo, quam ejusdem infulus gesserit; dein tum tum sacerdotali dignitate fuisse, cum suum nuper episcopum procul Lugduno in Ægypto commorantem vitæ invisum, non sine luculento comitum in Præsulem suum amoris venerationisque testimonio; demum meritis suis atque virtutibus ad episcopate fastigium erectum fuisse Antiochum, cum vitæ austeritate adhuc presbyter eminuerit, ac Justo charus admodum fuerit, quod prolucio Antiochi encomio æquiparandum merito Raynaudus censuit. Errat ergo Paradinus, dum Historiæ Lugdunensis lib. I cap. xlix ait, Antiochum in Ægyptum abeuntem fuisse diaconum: divinat saltem, cum illum ait eo in Ægyptum profectum consilio ac desiderio, ut Justum sedi suæ, cui hic sponte renuntiaverat, et Albinus Martinusve jam legitime præsidebat, restitutum cerneret. Vendit denique sua, dum S. Antiochum in Ægyptum fuisse appulsum scribit, cum jam e vivis S. Justus æque ac S. Viator, Justi, Achates, e vivis excessissent; retulisse tamen utriusque ossa Lugdunum, quæ citatis paulo ante et mox citandis S. Justi biographi verbis adversari plane videntur. Is certe, in vivis adhuc fuisse superstitem S. Justum, ipsomet, quo ad illum S. Antiochus pervenit die, ut ad calcem num. 2 videre est, liquido tradit; quapropter, si verum hic Paradinus scribit, aliqua tantum unius diei parte hujus mors illius adventum prægressa fuerit, quod crederem fortasse, si, unde id Paradinus edoctus sit, scirem.

4 Idem biographus quidem ait, prædixisse S. Justum Viatori fore, ut hic se sequeretur brevi (septimo, ut volunt, die) sed non eodem, quod æque omni fundamento, quin et verisimilitudine destitutum est. Neque, quod porro affirmare Paradino visum est, S. Justi ossa Lugdunum S. Antiochus detulit; addo, nec S. Viator. Non Antiochus; quantum enim intelligi datur ex S. Justi Vita, Antiochus, Lugduno in Ægyptum discedens, comitatu caruit; id autem officii S. Justo præstiterere plures e Lugdunensium civium numero: sic enim prosequitur laudatus S. Justi biographus: Sed in gloria ejus neque illam Lugdunensium gra-

(a) Ad diem ii Sept., p. 566 et 588. — (b) p. 44. — (c) p. 589;

n. 5. — (d) Ad diem i Maji, p. 55. — (e) p. 575.

tiam

AUCTORE
J. B.

tiam tacitus præterierim, quod in referendo sancto ejus corpusculo, usque in Australem plagam venerabilium se civium cura porrexit, qui scrutati illas pene inaccessas ardoribus solitudines, et ab ipso admodum solis Occasu prope in vicina Ortui loca devotione currentes, totum pene orbem pietatis suæ testem fecerunt, etc. *Vides cives Lugdunenses ea mente atque consilio e patria in Ægyptum profectos, ut defuncti corpus per inaccessas solitudines quæsitum inventumque ad sedem propriam reducerent; quod de S. Antiocho dici haud potest. Sed nec Viator S. Justi corpus Lugdunum transtulit: cum brevi post S. Justum obierit: neque facturus fuisse Vitæ S. Justi scriptor videatur, ut translatus Lugdunum S. Justi gloriam in anonymos cives, nulla facta S. Antiochi aut S. Viatoris mentione, transferret, si S. Antiochus vel S. Viator translationis duæ fuisset aut particeps.*

cultusque sacer.

5 *Gessit episcopatum S. Antiochus, dum vivit, strenue, sepulturamque in ecclesia SS. Machabæorum (postmodum S. Justi dicta et extra urbem prius sila), ut testatur Ado infra citandus, invenit; ubi religioso cultu honoratus a fidelibus jacuit, donec anno 1562 a Calvini assectis eversa fuit S. Justi ecclesia, servatæque in ea Cœlitum Reliquiæ dissipatæ. Num quid Reliquiarum S. Antiochi Lugdunensium venerationi solatioque relictum sit, docere nos ipsi debent: Chronica Sanctorum, quorum corpora in S. Justi ecclesia habentur (vide tom. V Junii ad Vitam S. Irenæi xxviii Junii) (a), post enumeratas SS. Justi, Viatoris, et Albini Reliquias ad S. Antiochum his verbis progreditur: Item (hic habetur) corpus beati Antiochi Lugdunensis XV; quas, occasione litis inter ecclesias S. Justi et S. Irenæi de hujus et SS. Martyrum Epipodii et Alexandri corporum possessione motæ, anno 1287 inspectas fuisse liquet ex confecti ea de re instrumenti l. c. num. 24 sequentibus verbis: Item in alio tumultu reperiuntur est corpus Sancti Antiochi Confessoris et archiepiscopi Lugdunensis, cujus sacrarum vestium, qui-*

bus indutus fuerat, sicut et plurium cæterorum D adhuc vestigia manifesta restabant, super cujus etiam tumulum, secundum antiquam prædictæ ecclesiæ S. Justi consuetudinem, in festo ipsius, quod colitur Idibus Octobris, sacerdotes et clerici ejusdem loci candelam ponere consueverunt. *Indiculus beneficiorum diocesis Lugdunensis. de quo num. 2, bina inter hæc numerat (b), quæ S. Antiochi titulo gaudent, quorum alterum Saint Anduel la Valla, alterum Saint Anduel en Jarest istic nuncupatur. Signari ejus festum in Breviario Lugdunensi testis Severtius est. Ado eum hodie sequenti, ex Actis S. Justi fere deprompto, elogio celebrat: Eodem die apud Lugdunum, natale beati Antiochi episcopi, qui cum adhuc presbyter Lugdunensis esset, pio incitatus officio, usque ad visendum episcopum suum, qui in eremo morabatur, nomine et actione vere Justus, pergere animo intendit. Vir districtione præcipuus, et qui non immerito, tempore interjecto, ad ejusdem pontificii culmen assumptus est. Quo strenue administrato, regnum cœlestis adeptus est. Sepultus in ecclesia Martyrum Machabæorum, in qua et Sanctus Justus tumulatus quiescit; hoc Usuardus: Lugduni Sancti Antiochi episcopi, qui strenue administrato pontificii culmine, ad quod assumptus fuerat, regnum cœlestis adeptus est. His addo pauca Martyrologii Autisiodorensis, inter antiquissima a Martineo (c) relati, verba: Lugduno beati Antiochi episcopi, Romanum eisdem verbis utitur, quibus Usuardus. Silentio liceat, ex quibus nihilo plus discat lector, præterire cætera.*

[Gallia Christiana (d) vulgari potius opinione quam certo testimonio niti insinuat sententiam, quæ pronuntiat eundem esse Antiochum et presbyterum sub S. Justo et episcopum: istiusmodi dubium clarius etiam exprimit Scriptor Historiæ Ecclesiasticæ Lugdunensis Poullein de Lumina (e). Has dubitationes tollit omnino vita S. Justi satis antiqua (f), ut fides et abroganda non sit: S. Antiochus tunc presbyter... qui non immerito ad ejusdem pontificii culmen assumptus est.]

(a) Deductio historica super possessione corporum SS. Irenæi. p. 344, n. 18. — (b) p. 16. — (c) Coll. Ampliss., t. VI, col. 725.

— (d) T. IV, col. 18. — (e) Hist. de l'Egl. de Lyon, p. 57. — (f) Act. SS. n. Sept., p. 375, n. 8.

DE SS. CANNATO ET ANTONINO

CONF. EPP., UT FERTUR, MASSILIENSIBUS

IN PROVINCIA.

J. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. SS. Conf. apud Martyrologos mentio, officium ecclesiasticum, aliaque cultus sacri ipsis impensi monumenta; Reliquiis eorum exhibitus honor; Acta exiguæ quidem fidei, edenda tamen.

Sac. V.
De SS. hisee
Conf., licet ad
dies varios ali-
cubis relatis,

Quam incerta sunt, quæ de SS. Cannato et Antonino Massiliensium traditio prædicat, tam certus est cultus sacer illis ibidem a pluribus retro sæculis exhiberi hoc die solitus. Martyrologos inter primus ex his, quos quidem viderim,

Ferrarius in Catalogo Sanctorum Martyrologio Romano non inscriptorum ex ecclesiæ Massiliensis ad se transmissis tabulis S. Cannatum, nulla S. Antonini mentione facta, ad diem Octobris tertium sic annuntiat: Massiliæ S. Canatis episcopi. Ferrarium